

Büchlein 2

H. I. S. 30

1246.

[52

Der Abt Konrad IV. von Helmarshausen bekundet, daß ihm der Herzog Otto von Braunschweig vier Ministerialen in Sielen (Fr. Hofgeismar) mit dem Eigentumsrechte an den Gütern daselbst überlassen habe. Die Ministerialen verkauften ihre Güter dem Kloster für 130 Mark schwere Denare. Der Edle Konrad von Schöneberg leistet Bürgschaft.

In nomine sancte<sup>1)</sup> et individue Trinitatis. Conradus Dei gratia Helmwardensis abbas in perpetuum. Solent statuta temporum scriptis et dictis testium roborari, ut per hec posteris tollatur occasio malignandi et integra permaneant maiorum (vol)ita. Notum itaque esse volumus tam presentibus quam futuris, quod dominus Otto vir nobilis dux de Brunneswic, ecclesie nostre contulit mi(nister)ialium iure quattuor fratres Berteramum, Henricum, Ottonem, Thidericum dictos Hurlere, suos ministeriales, cum proprietate bonorum, (que) fratres in villa Sydon ab ipso tenebant in feodo, scilicet decem mansos cum molendino et omnibus ad ea pertinentibus. Supra qua do(nation)e scriptum eiusdem principis habemus speciale ipsius bulla roboratum. Placuit postmodum eisdem fratribus eadem bona ad vendendum exhibere, que nos de consilio fidelium ecclesie nostre comparavimus, datis centum triginta marcis gravium denariorum. Hac pecunia (data) in presentia viri nobilis domini Conradi de Sconenberg et aliorum honestorum virorum predicti fratres cum heredibus suis omnibus (predictis) bonis renuntiaverunt et ecclesie nostre in perpetuum possidenda recognoverunt. Promisit autem vir nobilis O. de Sconenberg (et milites) subter annotati fide militari in manus nostras et fidelium nostrorum, quod, si predicti fratres aut heredes eorum contra hec acta (age)re voluerint, ipse maliciam eorum compescat aut certe cum militibus subscriptis oppidum Helmwardense intrabit non egressurus quousque omnis hec actio in integrum reformetur. Testes huius rei sunt: Hartmannus decanus, Godefrithus camerarius, Otto schoolasticus, Herimannus hospitalarius claustrales. Milites vero Bruno de Dvergen, Adelungus de Scardenberg, Everhardus de Brokhuson, Gerhardus Hadike, Bertoldus de (fehlt ganz), Bertoldus, Sigehardus, Hildebrandus fratres de Thesle, Conradus de Beveruggen, Heinricus de Halduggen, Conradus de Erclen, (Rein)oldus de Markessen et alii plures. Ut autem hec emptio firma permaneat, presentem paginam conscribi et sigillo nostro (necnon) Conradi de Sconenberg fecimus roborari. Acta sunt hec anno domini M<sup>o</sup>.C<sup>o</sup>.C. XLVI. Indictione IIII. Amen.

Orig. Beide Siegel ab. An der linken Seite sehr beschädigt. Vergl. Pfaff, Helmarshausen, S. 150.

<sup>1)</sup> Davor „Do“ verschrieben.